

dicere Deo : « Numquid Job gratis colit Deum ¹? » Porro si in servum venundatus Joseph et humiliatus et exaltatus, locum fecit ad temporalia bona populo Dei, ut firmaretur super inimicos ejus; quanto magis Jesus venundatus et humiliatus a fratribus suis secundum carnem, et exaltatus in cœlis, locum facit ad æterna bona populo Dei, triumphanti de diabolo et angelis ejus? Audi ergo semen Abrahæ, non de carne glorians, sed imitans fidem; audite servi Dei, et electi Dei, promissionem habentes vitæ præsentis et futuræ². Si tentationes duræ sunt in hoc sæculo, Joseph in carcere, Jesum in cruce cogitate. Si rerum temporalium prosperitas adjacet, non propter ipsam Deo, sed ipsa utimini propter Deum: nec eum existimetis propter vitæ hujus necessaria coli a cultoribus suis, quæ donat et blasphematoribus suis; « Sed quærite primum » regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur » vobis³. »

ENARRATIO

IN PSALMUM CV.

I. PSALMUS centesimus-quintus etiam ipse prænotatur, « Alleluia. » Et hoc dupliciter. Sed quidam dicunt unum Alleluia pertinere ad finem Psalmi superioris, alterum ad hujus principium. Et hocasserunt quod omnes Alleluatici Psalmi habeant in fine Alleluia, non omnes in capite: unde quicumque Psalmus non habet in fine Alleluia, nec in capite volunt eum habere; quod autem in ejus capite

¹ Job. 1, 9. — ² 1 Tim. iv, 8. — ³ Matth. vi, 33.

videtur esse, ad finem superioris pertinere. Sed nos, quousque nobis aliquibus certis documentis id verum esse persuadeant, multorum consuetudinem sequimur, qui ubicumque legunt Alleluia, eidem Psalmo attribuunt, in cujus hoc capite inveniunt. Paucissimi enim codices sunt, (quod quidem in nullo græcorum reperi, quos inspicere potui,) qui habeant Alleluia in fine centesimi et quinquagesimi Psalmi: post quem jam nullus est, qui ad eundem canonem pertinet. Sed neque hoc posset præscribere consuetudini, etiamsi omnes codices id haberent. Fieri enim potuit, ut aliqua ratione laudationis Dei totus Psalmorum liber, qui libris quinque constare perhibetur, (nam ubi scriptum est, « Fiat, fiat, » ibi fines librorum esse dicant,) post omnia quæ cantata sunt, ultimo Alleluia clauderetur: nec propter finem centesimi et quinquagesimi Psalmi necesse esse video, ut omnes Alleluatici Psalmi in fine habeant Alleluia. Cum vero in capite Psalmi geminatur Alleluia, cur Dominus aliquando semel, aliquando bis dicit Amen, et eo modo non possit aliquando semel, aliquando bis Alleluia dici, nescio: præsertim quia post numeri notam, quo Psalmus inscribitur quotus sit, veluti iste centesimus-quintus, utrumque Alleluia positum est. Debit autem unum poni ante ipsum numerum, si ad finem pertinet superioris: et post numerum Psalmi scribi alterum Alleluia, quod ad Psalmum ipsius numeri pertinet. Sed fortasse et in hoc imperita prævaluit consuetudo, et aliquid afferri potest, quod adhuc ignoramus, unde nos magis docere debeat iudicium veritatis, quam præjudicium consuetudinis. Nunc tamen antequam hoc perdiscamus, ubicumque post numerum Psalmi, sive semel, sive bis conscriptum invenimus Alleluia, secundum celeberrimam Ecclesiæ consuetudinem, ei Psalmo tribuimus, qui eodem numero præ-

notatur : confitentes nos arcana omnium titulorum, qui sunt in Psalmis, et ordinis eorumdem Psalmorum, et magna esse credere, et nondum, sicut volumus, penetrare potuisse.

II. Video autem istos duos, centesimum-quartum et centesimum-quintum, ita inter se conjunctos, ut in uno eorum, qui præcedit, commendetur populus Dei in electis ejus, de quibus nulla querela fit, quos ego arbitror ibi fuisse in quibus beneplacitum est Deo¹: in isto autem qui sequitur, eos commemoratos qui in eodem populo amaricaverunt; nec tamen etiam ipsis Dei misericordiam defuisse. Dicuntur autem ista ex eorum persona, qui veniam conversi precantur; et exempla commemorantur illorum, in quos etiam peccatores dives apparuit misericordia Dei. Incipit ergo etiam iste Psalmus sicut ille: « Confitemini Domino. » Sed ibi sequitur: Et invocate » nomen ejus: » hic autem: « Quoniam bonus, quoniam in » sæculum misericordia ejus². » Quapropter potest hic quidem intelligi etiam confessio peccatorum: nam et post paucos versus sequitur: « Peccavimus cum patribus nos- » tris, injuste egimus, iniquitatem fecimus³: » sed in eo quod dicit: « Quoniam bonus, quoniam in sæculum mise- » ricordia ejus, » laus utique Dei est, atque in ejus laude confessio. Quanquam etiam cum sua quisque confitetur peccata, cum Dei laude confiteri debet: nec aliter pia est confessio peccatorum, nisi non desperans, et poscens misericordiam Dei. Habet ergo ejus laudem, sive etiam in verbis, cum eum bonum et misericordem dicit; sive in solo affectu, cum hoc credit. Nam et ille Publicanus, cujus sola illa verba commemorata sunt: « Domine, pro- » pitius esto mihi peccatori⁴, » etsi non dixit: Quoniam bonus et misericors es, vel aliquid hujusmodi: non tamen

¹ 1 Cor. x, 5. — ² Psal. cv, 1. — ³ Ibid. 6. — ⁴ Luc. xviii, 13.

illud diceret, nisi hoc crederet; quoniam cum spe oravit, quæ sine illa fide esse non posset. Potest ergo esse laus Dei vera et pia; ubi non sit confessio peccatorum; quæ laus multo crebrius in Scripturis confessio vocatur: nulla est autem peccatorum confessio pia et utilis, ubi non laudatur Deus, sive corde, sive etiam ore atque sermone. Quod autem habent alii codices: « Quoniam bonus; » alii habent: « Quoniam suavis: » ita unum verbum græcum, quod dicitur *χρηστός*, diversa interpretatio secuta est. Item quod dictum est: « Quoniam in sæculum misericordia ejus: » græcus habet *εις τον αιωνα*, quod potest etiam « In æternum » interpretari. Proinde si illa misericordia hic intelligitur, qua nemo sine Deo beatus esse potest; melius accipimus « In » æternum: » si autem illa est misericordia, quæ miseris exhibetur, ut vel consolentur in miseria, vel ab illa etiam liberentur; melius « In sæculum, » hoc est, usque in finem sæculi, in quo non deerunt miseri, quibus misericordia præbeatur. Nisi forte quis audeat dicere, etiam his qui damnabuntur cum diabolo et angelis ejus, aliquam misericordiam Dei minime defuturam; non qua ex illa damnatione liberentur, sed ut eis aliquatenus mitigetur: atque ita æternam posse intelligi Dei misericordiam super illorum æternam miseriam. Sed tolerabiliorem quosdam excepturos damnationem in quorundam comparatione legimus: alicujus vero mitigari eam cui est traditus poenam, vel quibusdam intervallis habere aliquam pausam, quis audacter dixerit; quandoquidem unam stillam dives ille non meruit¹. Sed de hac tanta re diligentius ex otio disserendum est; nunc quod ad istum Psalmum attinet, hætenus de illa dictum esse suffecerit.

III. « Quis loquetur potentias Domini? » Impletus consideratione divinorum operum, qui misericordiam ejus

¹ Luc. xvi, 24-26.

exposcit: « Quis, inquit, loquetur potentias Domini, au-
 » ditas faciet omnes laudes ejus¹? » Subaudiendum est
 quod supra dictum est, ut etiam ista sententia ita sit plena,
 Quis « Auditas faciet omnes laudes ejus? » Id est, quisnam
 sufficiat auditas facere omnes laudes ejus? « Auditas faciet, »
 dixit, id est, faciet ut audiantur: ostendens ita loquendas
 potentias Domini et laudes ejus, ut prædicentur audien-
 tibus. Sed quis potest omnes? An forte quia sequitur:
 « Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam in
 » omni tempore², » eas dixit laudes ejus, quæ intelli-
 guntur opera ejus in præceptis ejus? « Deus est enim, ait
 » Apostolus, qui operatur in vobis³. » Et dictum est se-
 mini Abrahamæ: « Cantate ei, et psallite ei⁴: » quod intel-
 leximus ita dictum, ac si diceretur: Bona in ejus laudem et
 dicite, et facite. Quibus duobus verbis, id est, cantandi
 et psallendi, convenire duos consequentes versus, ut quod
 dictum est: « Narrate omnia mirabilia ejus; » hoc sit:
 « Cantate ei: » quod vero dictum est: « Laudamini in
 » nomine sancto ejus⁵; » hoc sit: « Psallite ei. » Huic
 quippe semini etiam ipse Dominus dicit: « Luceant opera
 » vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra,
 » et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est⁶. » Hic
 ergo ipsa Dei præcepta considerans, quorum præceptorum
 opera laudes sunt ejus qui operatur in suis, ait: « Quis
 » loquetur potentias Domini? » quoniam hæc ineffabiliter
 operatur. Quis « Auditas faciet omnes laudes ejus? » Id
 est, quis cum audierit, facit omnes laudes ejus? Quæ sunt
 opera præceptorum ejus. Quis in quantum fiunt, etsi non
 omnia quæ audita sunt fiunt, ille laudandus est, « Qui
 » operatur in nobis et velle et operari, pro bona volun-
 » tate⁷. » Ideo cum posset dicere, Omnia mandata ejus,

¹ Psal. cv, 2. — ² Ibid. 3. — ³ Philip. ii, 13. — ⁴ Psal. civ, 2. —
⁵ Ibid. 3. — ⁶ Matth. v, 16. — ⁷ Philip. ii, 13.

vel, omnia opera mandatorum ejus; maluit dicere: « Laudes
 » ejus: » quia, ut dictum est, in quantum fiunt, ipse lau-
 dandus est. Quas tamen laudes, quisnam sufficit auditas
 facere? id est, cum auditæ fuerint, facere omnes quis est
 idoneus?

IV. « Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam
 » in omni tempore¹: » utique ex quo incipiunt et vivunt
 in tempore. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic
 » salvus erit². » Potest autem videri ejusdem sententiæ
 repetitio, ut hoc sit facere justitiam, quod est custodire
 iudicium: ut etiam in superiore versu subaudiatur, « In
 » omni tempore; » sicut in posteriore subauditur, « Beati; »
 et redditis quæ subaudiuntur, ita dicatur: « Beati qui cus-
 » todiunt iudicium » in omni tempore, beati qui « Faciunt
 » justitiam in omni tempore. » Sed nisi aliquid interesset
 inter iudicium et justitiam, non in alio Psalmo diceretur:
 « Quousque justitia convertatur in iudicium³. » Amat
 quidem Scriptura, ista duo simul ponere: sicuti est: « Jus-
 » titia et iudicium directio sedis ejus⁴: » et illud: « Et
 » educet sicut lumen justitiam tuam, et iudicium tuum
 » sicut meridiem⁵: » cum et illic ejusdem sententiæ repe-
 titio videatur. Et fortasse propter vicinitatem significationis
 etiam alterum pro altero poni potest, vel iudicium pro jus-
 titia, vel justitia pro iudicio: tamen si proprie dicantur,
 aliquid interesse non dubito, ut iudicium custodire dicatur
 qui recte iudicat, justitiam vero facere qui recte agit. Nec
 absurde existimo intelligi secundum illud quod dictum
 est: « Quousque justitia convertatur in iudicium, » etiam
 hic eos dictos beatos qui iudicium custodiunt in fide, jus-
 titiam faciunt in opere. Veniet enim tempus, ut iudicium
 quod modo custoditur in fide, etiam exerceatur in opere,

¹ Psal. cv, 3. — ² Matth. x, 22. — ³ Psal. xciii, 15. — ⁴ Id. xcvi, 2. —
⁵ Id. xxxvi, 6.

cum iustitia conversa fuerit in iudicium, id est, cum acceperint iusti potestatem iudicandi eos recte, a quibus modo non recte iudicantur. Unde alibi ipsum corpus Christi intelligitur dicere: « Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo¹. » Quod verbum e verbo magis diceretur, *Æquitates iudicabo*. Non autem dixit: Cum accepero tempus, iustitiam faciam; quia omni tempore facienda est, sicut etiam hic dicit: « Qui faciunt iustitiam in omni tempore. »

V. Deinde quia Deus iustificat, id est, iustos facit, sanando eos ab iniquitatibus suis, sequitur oratio: « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui²: » id est, ut in eis simus, in quibus beneplacitum est tibi; quia non in omnibus illis beneplacitum est Deo. « Visita nos in salutari tuo. » Ipse est enim Salvator, in quo peccata dimittuntur, et animæ sanantur, ut possint custodire iudicium, et facere iustitiam: quos cum beatos esse intelligerent, qui hæc loquuntur, hoc sibi consequenter orando petunt. De isto salutari alibi dicitur: « Ut cognoscamus in terra viam tuam³. » Et quasi quæreremus, in qua terra: secutus est: « In omnibus gentibus. » Rursum quasi quæreremus, quam viam: secutus est, « Salutare tuum. » De illo quippe dixit Simeon senex: « Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum⁴. » Qui de se ipso dixit: « Ego sum via⁵. » Visita ergo nos in salutari tuo, hoc est, in Christo tuo. « Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ. » Id est, ad hoc nos visita in salutari tuo, ut videamus in bonitate electorum tuorum, et lætemur in lætitia gentis tuæ. Quod autem hic positum est, « In bonitate; » alii codices habent: « In suavitate: » sicut illud: « Quoniam bonus; » alii habent: « Quoniam suavis. » Id ipsum autem verbum in græco est, quod et

¹ Psal. lxxiv, 3. — ² Id. cv, 4. — ³ Id. lxxvi, 3. — ⁴ Luc. ii, 30. — ⁵ Joan. xiv, 6.

alibi legitur: « Dominus dabit suavitatem¹: » quam et aliqui interpretati sunt bonitatem, aliqui benignitatem. Sed quid est: « Visita nos ut videamus in bonitate electorum tuorum, » id est, in ea bonitate quam præstas electis tuis, nisi ut non remaneamus cæci, sicut illi quibus dictum est: « Nunc autem dicitis: Quia videmus; peccatum vestrum manet²? » Dominus enim illuminat cæcos³, non meritis eorum, sed, « In bonitate electorum suorum, » id est, quam exhibet vel donat electis suis: sicut, « Salus vultus mei, » non a me ipso, sed, « Deus meus⁴. » Et panem nostrum dicimus quotidianum, sed tamen addimus, « Da nobis⁵. » Visita ergo nos in salutari tuo, ad videndum, id est, ut videamus, « In bonitate electorum tuorum: ad lætandum, id est, ut lætemur, « In lætitia gentis tuæ. » Unam gentem Dei intelligere debemus universum semen Abrahamæ; sed filios promissionis, non carnis. Hi ergo, quorum vox est, optant ejusdem gentis habere lætitiā. Et quæ hujus gentis lætitia, nisi Deus ejus? Cui dicitur: « Exultatio mea, redime me⁶. » Et cui dicitur: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiā in cor meum⁷: » summo scilicet, vero, incommutabili et beatifico bono, quod ipse Deus est. « Ut lauderis cum hæreditate tua. » Miror istum versum sic interpretatum in multis esse codicibus, cum sit una atque eadem in tribus his versibus græca locutio, ut si hoc recte dictum est quod legitur: « Ut lauderis cum hæreditate tua; » posset recte dici: « Ut videas in bonitate electorum tuorum, et læteris in lætitia gentis tuæ: » toto ipso sensu ita contexto: « Visita nos in salutari tuo, ut videas in bonitate electorum tuorum, ut læteris in lætitia gentis tuæ, et lauderis cum hæreditate tua. » Secundum hoc

¹ Psal. lxxxiv, 13. — ² Joan. ix, 41. — ³ Psal. cxlv, 8. — ⁴ Id. xlii, 5. — ⁵ Matth. vi, 11. — ⁶ Psal. xxxi, 7. — ⁷ Id. iv, 7.

autem quod diximus: «Visita nos, ut videamus in bonitate » electorum tuorum, et lætemur in lætitia gentis tuæ; » consequenter et hic dici debuit: «Ut laudemur cum hæ- » reditate tua: » cui hæreditati dictum est: «Laudamini » in nomine sancto ejus¹. » Porro autem quoniam hæc ambigua videtur locutio; si verus est iste sensus, quo maluerunt interpretes dicere: «Ut lauderis: » etiam duo versus superiores ita intelligendi sunt; quia, ut dixi, una est in his tribus versibus græca locutio: ut hoc totum ita dictum accipiatur: «Visita nos in salutari tuo, ut videas in » bonitate electorum tuorum, » id est, ad hoc nos visita, ut illic nos esse facias, et illic nos videas: «Ut læteris in lætitia gentis tuæ, id est, tu dicaris lætari, cum illi lætantur ex te: «Ut lauderis cum hæreditate tua, » id est, cum ea lauderis, quoniam non laudatur nisi propter te. Sive ergo illo, sive isto modo intelligendum sit quod dictum est: «Ad videndum, ad lætandum, ad laudandum: ideo se optant visitari in salutari Dei, id est, in Christo ejus, ut non alienentur a populo ejus, et ab eis in quibus beneplacitum est Deo.

—VI. Quid autem deinceps confiteantur, audiamus: «Pec- » cavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquita- » tem fecimus². » Quid est: «Cum patribus nostris?» An sicut habet Epistola ad Hebræos, quia et Levi cum Abraham decimatus est, quoniam in lumbis ejus fuit, quando decimas dedit sacerdoti Melchisedech³; sic et isti peccaverunt cum patribus suis, in quorum lumbiserant, quando illi in Ægypto fuerunt? Nam qui fuerunt eo tempore, cum Psalmus iste conscriptus est, maximeque posteri eorum, (quia vel ab eis qui tunc erant dici, vel de post futuris potuit prophetari) longe aberant ab ætate illorum, qui in Ægypto peccaverunt, non intelligentes mirabilia Dei. Hoc

¹ Psal. cv, 3. — ² Id. cv, 6. — ³ Hebr. vii, 1-10. —

enim sequitur, exponendo quomodo peccaverunt cum patribus suis: «Patres nostri, inquit, in Ægypto non intel- »lexerunt mirabilia tua¹: » et cætera, quæ de peccatis eorum multa commemorat. An sic potius accipiendum est quod ait: «Peccavimus cum patribus nostris, » tanquam diceret: Peccavimus sicut patres nostri, eorum videlicet imitando peccata? Quod si ita est, astruendum est aliquo hujusmodi locutionis exemplo: quod cum in præsentia quærerem, non occurrit, ut cum illo se quisquam peccasse, vel cum illo se aliquid fecisse dicat, quem in simili facto etiam post multum temporis fuerit imitatus.

VII. Quid est ergo: «Patres nostri non intellexerunt » mirabilia tua, » nisi, non cognoverunt quid per illa mirabilia eis præstare volueris? Quid utique nisi vitam æternam, et non temporale, sed incommutabile bonum, quod per patientiam expectatur? Ideo impatienter murmuraverunt, et amaricaverunt, et bonis præsentibus fallacibus atque fugacibus beatos se fieri quæsierunt. «Non fuerunt » memores multitudinis misericordiæ tuæ.» Et intellectum redarguit, et memoriam. Intellectu quippe opus erat, ut cogitarent ad quorum bonorum æternitatem per illa temporalia vocaret Deus: memoria vero, ut saltem quæ temporaliter mirabilia facta sunt, non obliviscerentur, fideliterque præsumerent quod eadem potestate, quam fuerant jam experti, Deus illos ab inimicorum persecutione liberaret: oblii sunt autem quid eis in Ægypto ad inimicos eorum conferendos per tanta prodigia præstitisset. «Et ir- » ritaverunt, ascendentes in mari, mare Rubrum². » Codex quem intuebar, sic habebat: et his quidem duobus verbis ultimis, quod dictum est: «mare Rubrum, » stella fuerat prænotata; qua significantur quæ in Hebræo sunt, et in interpretatione Septuaginta non sunt. Plures autem codi-

¹ Psal. cv, 7. — ² Ibid.

ces, quos inspicere potui, et græci et latini sic habent: « Et irritaverunt, » vel quod expressius de græco est: « Et » amaricaverunt, ascendentes in Rubro mari. » Qui illam legit historiam, quando exierunt de Ægypto, et per mare Rubrum transierunt, dolet eorum infidelitatem, in quanta trepidatione et desperatione fuerint, post recentia tot et tanta miracula in Ægypto: cujus multitudinis misericordiæ Dei non eos fuisse memores dicit. « Ascenderunt » autem, propterea dictum est; quia ita est terræ positio, ut descensio dicatur in Ægyptum de terra Chanaan, et in eam illinc ascensio. Notandum est sane quemadmodum Scriptura culpam voluerit, non intelligere quod intelligendum est, et non meminisse quod memoria retinendum est: quod homines suæ culpæ deputari nolunt, ad nihil aliud nisi ut minus supplicent, minusque sint humiles Deo, in cujus conspectu confiteantur quod sunt, atque impetrato adiutorio possint esse quod non sunt. Nam etiam peccata ignorantiae vel negligentiae melius accusantur ut pereant, quam excusantur ut maneant; meliusque purgantur invocato Deo, quam firmanur irritato.

VIII. Adjungit tamen non secundum eorum infidelitatem Deum fecisse. « Et salvavit eos, inquit, propter nomen » suum, ut notam faceret potentiam suam¹: » non propter ulla bona merita eorum.

IX. « Et increpavit mare Rubrum, et exsiccatum est². » Non legimus ullam, qua increparetur mare, emissam coelitus vocem: sed potentiam divinam qua id factum est, increpationem appellavit: nisi forte quis dicat latenter increpatum, sic ut aqua posset audire, et homines non possent. Valde occulta et abstrusa vis est, qua Deus agit, ut etiam illa quæ sensu carent, confestim ejus obtemperent voluntati. « Et eduxit eos in abyssis sicut in deserto. »

¹ Psal. cv, 8. — ² Ibid.

Abyssos dixit multitudinem aquarum. Nam quidam volentes istum versiculum totum interpretari, dixerunt: « Et » eduxit eos in aquis multis. » Quid est ergo: « In abyssis » sicut in deserto, » nisi quia factum erat siccitate velut desertum, ubi fuerant abyssis aquarum?

X. « Et salvavit eos de manu odientium. » Hunc versum per circuitum quidam interpretati sunt, verba minus latina vitantes: « Et salvos fecit eos de manu eorum qui oderant » eos. Et redemit eos de manu inimici¹. » Quid pretii datum est in hac redemptione? An prophetia est, quod in figura baptismi hoc factum est, ubi redimimur de manu diaboli magno pretio, quod sanguis est Christi? Unde non quocumque mari, sed mari Rubro id convenientius figuratum est: sanguis enim rubrum colorem habet.

XI. « Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non » remansit²: » non ex omnibus Ægyptiis, sed ex eis qui persequebantur profectos, apprehendere vel interimere cupientes.

XII. « Et crediderunt in verbis ejus. » Minus latina videtur locutio, quia non ait verbis ejus, vel in verba ejus, sed, « In verbis ejus, » tamen Scripturis usitatissima. » Et » laudaverunt laudem ejus³. » Tales sunt locutiones, cum dicimus: Hanc servitute servivit, talem vitam vixit. Laudem porro Dei notissimam illam commemorat, ubi dicitur: « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum » et equitem projecit in mare⁴. »

XIII. « Cito fecerunt, oblii sunt operum ejus. » Alii codices intelligibilius habent: « Festinaverunt, oblii sunt » operum ejus: non sustinuerunt consilium ejus⁵. » Debuerunt enim cogitare tanta erga se opera Dei non esse inania, sed vocare ad aliquam sine fine felicitatem, quæ

¹ Psal. cv, 10. — ² Ibid. 11. — ³ Ibid. 12. — ⁴ Exod. xv, 1. — ⁵ Psal. cv, 13.

per patientiam sustinenda est : sed festinaverunt beati fieri temporalibus rebus, quæ ideo nemini conferunt veram felicitatem, quia non extinguunt insatiabilem cupiditatem. « Qui enim biberit, inquit, ex hac aqua, sitiet iterum¹. »

XIV. Denique : « Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso². » Quod est, « In deserto ; » hoc repetitum est, « In inaquoso, » id est, in loco sine aqua : quod vero, « Concupierunt concupiscentiam ; » hoc ; « Tentaverunt Deum. » Talis sane locutio est : « Concupierunt concupiscentiam, » qualis superior : « Laudaverunt laudem. »

XV. « Et dedit eis petitionem ipsorum : » id est, quod petitione petierunt. « Et misit saturitatem in animam eorum³. » Nec ideo beatos fecit : quia non erat illa saturitas, de qua dicitur : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, » quoniam ipsi saturabuntur⁴. » Itaque hoc loco animam non secundum id quod rationalis est, dixit, sed secundum id quod animans corpus animal facit. Ad cujus animalis sustentationem pertinet cibus et potus, secundum hoc quod in Evangelio dicitur : « Nonne anima plus est quam esca, » et corpus plus quam vestimentum⁵. » Tanquam ad animam pertineat vesci, ad corpus vestiri. Secundum hoc dicitur apud Isaiam : « Quid est quod jejunavimus, et non vidisti ; » defraudavimus animas nostras, et nescisti⁶ ? »

XVI. « Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini⁷. » Quam dicat irritationem, vel, sicut expressius alii interpretati sunt, amaricationem, consequentia satis indicant.

XVII. « Aperta est, inquit, terra, et deglutivit Dathan, et superoperuit super congregationem Abiron⁸. »

¹ Joan. iv, 13. — ² Psal. cv, 14. — ³ Ibid. 15. — ⁴ Matth. v, 8. — ⁵ Id. vi, 25. — ⁶ Isai. lvm, 3. — ⁷ Psal. cv, 16. — ⁸ Ibid. 17.

Quod est, « Deglutivit ; » hoc est, « Superoperuit. » Am-
borum autem, id est, Dathan et Abiron, una erat causa
superbissimi et sacrilegi schismatis.

XVIII. « Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma
» combussit peccatores¹. » Non est hoc nomen in Scrip-
turis usitatum eorum, qui licet juste ac laudabiliter vi-
vant, non sunt sine peccato. Magis enim sicut interest
inter iridentes et irrisores, inter murmurantes et mur-
muratores, inter scribentes et scriptores, et cætera similia :
ita Scriptura peccatores appellare consuevit valde iniquos
et grandibus peccatorum sarcinis oneratos.

XIX. « Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt
» sculptile. Et mutaverunt gloriam suam in similitudine
» vituli comedentis fœnum². » Non ait in similitudinem,
sed « In similitudine. » Talis est locutio, qualis illa, ubi
ait, « Et crediderunt in verbis ejus. » Eleganter sane non
ait, Et mutaverunt gloriam Dei, cum hoc fecerint ; sicut
etiam Apostolus loquitur, « Et immutaverunt gloriam in-
» corruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis
» hominis³ : » sed « Gloriam suam » dixit. Deus enim erat
gloria eorum, si ejus sustinerent consilium, et non festi-
narent : cui dicitur, « Gloria mea et exaltans caput
» meum⁴. » Istam « Gloriam suam, id est, Deum,
» mutaverunt in similitudine vituli comedentis fœnum, »
ut ab eo comederentur, a quo comeduntur qui sapiunt
secundum carnem : « Omnis enim caro fœnum⁵. »

XX. « Obliti sunt Deum, qui salvavit eos⁶. » Quomodo
salvavit eos ? « Qui fecit magna in Ægypto, mirabilia
» in terra Cham, terribilia in mari Rubro⁷. » Quæ sunt
mirabilia, ipsa sunt terribilia : nulla quippe admiratio est
sine quadam formidine. Quamvis ista etiam hinc terribilia

¹ Psal. cv, 18. — ² Ibid. 19, 20. — ³ Rom. 1, 23. — ⁴ Psal. m, 4. —
⁵ Isai. xl, 6. — ⁶ Psal. cv, 21. — ⁷ Ibid. 22.

dici potuerint, quod adversarios afflixerunt, et istis quid deberent timere monstraverunt.

XXI. « Et dixit ut disperderet eos. » Quia oblitus sunt eum qui salvos fecit eos, faciens magnalia, et fecerunt et adoraverunt scuptile, hoc utique tam immani scelere et incredibili impietate, digni fuerant qui perirent. « Dixit » ergo ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetit in confractione in conspectu ejus¹. » Non ita dixit stetisse « In confractione, » quasi ut frangeret iram Dei; sed « In confractione, » id est, in plaga qua erant illi ferendi: id est, nisi objecisset se ipsum pro eis, dicens: « Si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem, dele me » de libro tuo². » Ubi demonstratum est, intercessio sanctorum quantum pro aliis valeat apud Deum. Securus enim Moyses de justitia Dei, qua eum delere non posset, impetravit misericordiam, ne illos, quos juste posset, deleteret. Ita stetit « In confractione in conspectu ejus, ut » averteret iram ejus, ne disperderet eos. »

XXII. « Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem³. » Sed numquid viderant eam? Quomodo ergo pro nihilo, quam non viderant, habuerunt, nisi quomodo sequitur, « Nec crediderunt in verbis ejus? » Profecto nisi terra illa significaret aliquid magnum, quæ terra dicebatur fluens lac et mel⁴, per quod visibile sacramentum ad invisibilem gratiam regnumque cœlorum duceret eos qui mirabilia ejus intelligebant, nullo modo isti culparentur, quia pro nihilo habuerunt illam terram, cujus temporale regnum etiam nos pro nihilo habere debemus, ut Jerusalem liberam matrem nostram, quæ in cœlis est⁵, vere desiderabilem diligamus. Sed potius hic infidelitas merito redarguitur, quia in eo quod terram desiderabi-

¹ Psal. cv, 23. — ² Exod. xxxi, 31, 32. — ³ Psal. cv, 24. — ⁴ Exod. iii, 8. — ⁵ Gal. iv, 26.

lem pro nihilo habuerunt, verbis Dei non crediderunt, per quædam parva ducentis ad magna, et festinantes beari temporalibus rebus, quas secundum carnem sapiebant, « Non sustinuerunt, sicut supra dictum est, consilium » ejus¹. »

XXIII. « Et murmurarunt in tabernaculis suis, non » exaudierunt vocem Domini²: » vehementer eos a murmuratione prohibentis.

XXIV. « Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto: et ut dejiceret semen eorum in » nationibus, et dispergeret eos in regionibus³. »

XXV. Hic antequam diceret quod tantæ indignationi Dei quisquam intercesserit, eumque aliquo modo placaverit, secutus adjunxit: « Et initiati sunt Beelphegor⁴: » id est, idolo Gentium consecrati. « Et manducaverunt sacrificia mortuorum. Et irritaverunt eum in adinventio- » nibus suis, et multiplicata est in eis ruina⁵. » Tanquam ad hoc distulerit, quod levaverat manum super eos prosternendos in deserto, et dejiciendum semen eorum in nationibus, et dispergendos eos in regionibus, ut dati in reprobum sensum, etiam illud admitterent, in quo immuniore crimine evidenti justitia punirentur: quemadmodum dicit Apostolus, « Et sicut non probaverunt Deum habere » in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, » ut faciant quæ non conveniunt⁶. »

XXVI. Denique tantum fuit scelus eorum, quod consecrati sunt idolo, et comederunt sacrificia mortuorum, (id est, quia mortuis hominibus tanquam diis sacrificabant Gentes,) ut aliter se placari Deus nollet, nisi quomodo eum placavit Phinees sacerdos, qui masculum et feminam in complexu adulterino deprehensos pariter interemit⁷.

¹ Psal. cv, 13. — ² Ibid. 26. — ³ Ibid. 27. — ⁴ Ibid. 28. — ⁵ Ibid. 29. — ⁶ Rom. i, 28. — ⁷ Num. xxv, 8.